

sacramentum recipit voluntarie, et sine sufficiente necessitate; et ideo, cum hujusmodi hæretici ad Ecclesiam veniunt, per manus impositionem reconciliativam suscipiuntur, sub imagine poenitentiae, et invocatione Spiritus Sancti, ut ibidem ait Innocent. Et eodem sensu loquitur Leo Papa locis in princ. citatis. Quamquam Lindanus, lib. 4 Panopliæ, c. 27, contendat, Leonem ibi loqui de sacramento confirmationis, præsertim in posteriori loco, quod revera non est necessarium, quia Leo in eodem sensu loquitur, quo August. contra Novat. Sicut enim per baptismum, et alia sacramenta datur gratia, ita etiam datur Spiritus Sanctus; et hoc modo aiunt Patres prædicti, quamvis hæreticorum baptisma sit validum, tamen non dare illis Spiritum Sanctum; ideo cum convertuntur, eis manus imponi, ut Spiritum Sanctum recipiant, non eo modo, quo datur per sacramentum confirmationis, sed eo modo, quo per baptismum datur. Si vero quis posteriorem locum Leonis velit de propria confirmatione intelligere, oportet, ut limitationem adhibeat de illis hæreticis, qui non habent veros Episcopos, a quibus rite confirmantur. Et eodem modo exponendum est testimonium superius adductum ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus. Ad confirmationem satis jam explicatum est, qualis fuerit illa manus impositio, per quam hæretici in Ecclesia recipiebantur; et quoniam cætera testimonia, ibi adducta, ex dictis facillima sunt, ad Eusebium Papam respondetur, in priori parte loqui Eusebium de manus impositione reconciliativa, in posteriori vero de confirmativa; neque hoc est mirum, quia utraque significatio est usitata, et illa sunt diversa capita, in quibus Pontifex ad diversa interrogata respondet; atque ideo fortasse priorem vocavit absolute manus impositionem, posteriorem vero vocat, manus impositionis sacramentum.

11. Ad rationem respondetur, in primis solum probare, in hæreticis non habere locum effectum hujus sacramenti; deinde dicitur, potuisse quidem Christum Dominum instituere ministrum hujus sacramenti, eo modo, qui ibi fingitur; ex usu tamen et traditione Ecclesiæ, constat, non ita instituisse, et ideo non est simile exemplum, quod ibi adducitur, nam simplex sacerdos non habet a Christo ex vi sui characteris potestatem ministrandi hoc sacramentum, sed solum per delegationem Pontificis. Episcopus vero immediate a Christo habet potestatem ministrandi hoc sa-

cramentum ex vi characteris indelebilis, et ideo, quoad substantiam sacramenti, non pendet ab homine.

ARTICULUS XII.

Utrum ritus hujus sacramenti sit conveniens (4, a. 7, quæst. 3, art. 3, quæst. 2, ad 3, et in expositione litteræ).

1. *Ad duodecimum sic proceditur. Videtur, quod ritus hujus sacramenti non sit conveniens. Sacramentum enim baptismi est majoris necessitatis, quam hoc sacramentum, ut supra dictum est (art. 3 hujus quæst., ad 3, et q. 65, art. 4). Sed baptismum deputantur certa tempora, scilicet Pascha et Pentecostes. Ergo etiam huic sacramento aliquod certum tempus debet præfigi.*

2. *Præterea, sicut hoc sacramentum requirit devotionem et dantis et recipientis, ita etiam et sacramentum baptismi. Sed in hoc sacramento baptismi non requiritur, quod a jejuni sumatur vel conferatur. Ergo videtur inconvenienter statutum in Concil. Aurelianensi (cap. 31), ut jejuni ad confirmationem veniant, et in Concil. Meldens. (cap. 6), ut Episcopi non nisi jejuni, per impositionem manuum Spiritum Sanctum tradant.*

3. *Præterea, chrisma est quoddam signum plenitudinis Spiritus Sancti, ut supra dictum est (art. 2). Sed plenitudo Spiritus Sancti data est fidelibus Christi in die Pentecostes, ut habetur Act. 2. Magis ergo debet chrisma confici et benedici in festo Pentecostes, quam in cena Domini.*

Sed contra est usus Ecclesiæ, quæ a Spiritu Sancto gubernatur.

Respondeo dicendum, quod Dominus, Matth. 18, fidelibus suis promisit, dicens: Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et ideo firmiter tenendum est, quod ordinationes Ecclesiæ dirigantur secundum sapientiam Christi, et propter hoc certum esse debet, ritus, quos Ecclesia observat in hoc et in aliis sacramentis, esse convenientes.

Ad 1 ergo dicendum, quod sicut Melchisedes Papa dicit (in epist. ad Hispan. Episc., ante med., tom. 1 Concil., et habetur de Consecr., dist. 5, c. De his), ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta (scilicet baptismi et confirmationis), ut ab invicem (nisi morte præveniente) nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non possit. Et ideo eadem tempora sunt præfixa baptismi solemniter celebrando et huic sacramento. Sed quia hoc sa-

cramentum a solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentibus, ubi presbyteri baptizant, oportuit, quantum ad communem usum, sacramentum confirmationis etiam in alia tempora differre.

Ad 2, dicendum, quod ab illa prohibitione excipiuntur infirmi et morte periclitantes, sicut in statuto Meldensis Concilii legitur (ut patet de Consecr., dist. 5, cap. Ut Episc.). Et ideo propter multitudinem fidelium et propter pericula imminentia, sustinetur, ut hoc sacramentum (quod non nisi ab Episcopis dari potest) etiam a non jejunis detur vel accipiatur, quia unus Episcopus, præcipue in magna diocesi, non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est, ut a jejunis detur et accipiatur.

Ad 3, dicendum, quod sicut ex Concil. Martini Papæ habetur (de Consecr., dist. 4, cap. Omni tempore), omni tempore licebat chrisma conficere. Sed, quia solemnitas baptismi, ad quem requiritur usus chrismatis, in vigilia Paschæ celebratur, congrue ordinatum est, ut per biduum ante ab Episcopo chrisma benedicatur, ut possit per diocesin destinari; dies etiam ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiae sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur, sicut supra dictum est (quæst. 65, art. 3).

DISPUTATIO XXXVII,

ET SEXTA HUIUS SACRAMENTI.

DE CÆREMONIIS SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Duo possunt in præsentem considerari. Unum est, confectio chrismatis; aliud est, sacramentalis usus ipsius chrismatis, in quo sacramentum ipsum consistit; et utrumque fit ab Ecclesia speciali solemnitate ac ritu, qui breviter erit a nobis explicandus.

SECTIO I.

Utrum confectio chrismatis conveniente ritu fiat ab Ecclesia.

1. *Sex cæremoniæ expendantur. — Prima, benedictio balsami. — Omissis hæreticis, qui sicut cæteras, ita et has Ecclesiæ cæremonias damnant, nihil tamen speciale de hoc sacramento afferrunt, præter ea, quæ statim annotabimus, ex generali ratione, quam D. Thomas*

hic attigit, supponimus, Ecclesiam non errare, sed convenienter agere in hujusmodi cæremoniis, quia a Christi Domini spiritu et sapientia gubernatur. Ut vero earum rationem reddamus, ad quinque vel sex cæremonias revocari omnes possunt, ex quibus aliquæ antecedunt, aliæ subsequuntur, aliæ vero commitantur, seu extrinsecus circumstant ipsius chrismatis confectionem. Prima ergo cæremonia est, benedictio balsami, quæ ab Episcopo partim orationibus, et deprecationibus, partim signo, et benedictione crucis perficitur. De qua nihil dicendum occurrit præter superius dicta; nullam enim potest novam pati calumniam, quia nullum potest esse aptius signum ad cujusvis rei sanctificationem, quam verbum Dei, oratio, et crucis signum, ut in superioribus late ostensum est.

2. *Secunda, benedictio olei chrismalis. — Secunda cæremonia est, benedictio olei chrismalis, quæ eodem verbo et oratione ac signo crucis perficitur; fit autem per modum exorcismi, quod nullam habet novam difficultatem, positis his quæ supra de exorcismis in genere dicta sunt; solum dubitari potest de quadam cæremonia, quæ hujusmodi benedictionem antecedit, scilicet, quod Pontifex et duodecim sacerdotes illi assistentes habent in modum crucis super os ampullæ habentis oleum chrimale, quæ solum ad significationem quandam introducta est, et ideo nullam habet superstitionem; Christus enim Joan. 20, ut Apostolis Spiritum Sanctum daret, in eos insufflavit; quia ergo chrimale oleum ad dandam Spiritus Sancti plenitudinem sanctificatur, ideo ad hoc significandum Ecclesia prædictam insufflationem induxit, quæ cæremonia antiquissima est, ut constat ex Isidoro, Ruperto et aliis, qui de officiis Ecclesiasticis scripserunt, et ex ordine Romano, ac libro Pontificali.*

3. *Tertia mistio balsami et olei. — Tertia cæremonia est mistio balsami et olei, quam facit Episcopus immittendo balsamum in ampullam chrismalis olei, proferens illa verba: Hæc commistio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio et custodia salutis in sæcula sæculorum; qua actione et verbis substantialis confectio chrismatis perficitur; nam chrisma utriusque liquoris mistionem et benedictionem essentialiter requirit. Et quamvis inter agendam primam cæremoniam Pontifex parum olei misceat cum balsamo in patena, vel alio vasculo distincto ab ampulla chrismatis, tamen ibi revera non perficitur*

chrisma, quia neque ea intentione fit, neque illa est perfecta et completa mistio, sed tantum inchoatio quaedam, et adumbratio ejus.

4. *Quarta, veneratio seu solutio chrismatis.* — Quarta cæremonia, quæ post confectum chrisma subsequitur, est veneratio quædam seu salutatio ejus; nam Pontifex capite inclinato salutatur chrisma, dicens: *Salve sanctum chrisma*, et deinde osculatur labrum ampullæ, quod secundo, et tertio facit, et hæc postea imitantur duodecim sacerdotes, qui sum comitantur; hæc autem cæremonia hæreticis videbitur idololatriam sapere, quia in ea, videtur creatura adorari; aliis vero indoctis videri potest ridicula, quia res inanimis non potest salutari, quamvis possit reverenter tractari, nam salutatio proprie ad personam intelligentem dirigitur. Dicendum vero est, hanc cæremoniam merito esse ab Ecclesia introductam ad commendandam fidelibus sancti chrismatis existimationem ac reverentiam; est enim chrisma res quædam sacra, suumque modum sanctificationis habens, et ideo propria quædam reverentia et veneratio illi debetur, sicut et aliis sacris signis, et rebus divino cultui dedicatis, ut egregie docuit D. Thomas 2. 2, quæst. 99, art. 3, quæ reverentia dicta est a nobis in superioribus, adoratio respectiva, quia licet vere ac proprie ad rem ipsam inanimum terminetur, non tamen propter ipsam, sed propter id, ad quod refertur, seu quod significat. Ad hoc autem significandum interdum hæc veneratio per modum salutationis exprimitur, sicut etiam B. Andreas Crucem salutavit, dicens: *Salve Crux pretiosa*; et Ecclesia canit: *O Crux ave, spes unica*. Quæ verba quatenus orationem vel salutationem continent, per tropum et prosopopæiam explicantur, et ad Christum, seu rem representatam referuntur, ut dixi in 4 tomo, disputat. 54, sect. 4.

5. *Cæremonia quinta, circumstantia temporis.* — Quinta cæremonia pertinet ad circumstantiam temporis, quam hic notavit D. Thom. in solutione ad 3, ubi primum dicit, olim nullum fuisse anni tempus ab Ecclesia definitum ad chrisma conficiendum, sed quolibet tempore confici potuisse, quod colligit ex Conc. Martini Papæ; videtur autem allegare cap. *Omni tempore*, de Consec., dist. 4, quod sumptum est ex canonibus collectis a Martino Bracharensi Episcopo, cap. 31, ubi dicitur, *Omni tempore licere Episcopo chrisma conficere*, et similia verba habentur in Concil.

Tolet. 1, cap. 20. Sed nihilominus certum est, tempus ab Ecclesia designatum ad chrisma conficiendum esse feriam quintam Cœnæ Domini; illo enim die, ut supra vidimus ex Patribus, præsertim Fabiano, et Cypriano, Christus Dominus docuit chrisma conficere; in ejus rei memoriam illo tantum die confici consuevit. Item, quia, ut D. Thom. hic ait, tempus solemnissimum baptismatis fuit semper vigilia Paschatis; ideo ante duos dies consuevit renovari chrisma, quod usui esse posset in solemnibus baptismate; hæc autem consuetudo præter Fabianum, epist. 2, et Cyprian., serm. de Unctione chrismatis, colligitur ex Isidoro, Alcuino, Ruperto, et aliis antiquis scribentibus de divinis officiis. Unde in Concil. Meldensi, cap. 46, expresse præcipitur, *ut nemo sacrum chrisma nisi in quinta feria majoris hebdomadæ conficere præsumat*; et ob hanc causam in cap. Quoniam, de Sentent. excommun., in 6, dicitur, *Chrisma esse conficiendum in die Cœnæ Domini, etiam si terra interdicta existat*. Quapropter verisimile non est, fuisse aliquando usitatum in Ecclesia, ut quolibet anni tempore chrisma conficeretur, quia Fabianus Papa contrarium præcipit, et indicat fuisse traditionem Apostolicam. Neque ex prioribus decretis id satis colligitur; nam, quod dicitur, *Omni tempore*, potest optime per distributionem accommodatam intelligi; scilicet omni tempore ad conficiendum chrisma præscripto licitum esse Episcopo illud conficere, id est, hoc per se et ex officio ad illius munus pertinere; nam illa decreta non intendunt docere, quo tempore liceat chrisma conficere, sed ad quem per se hoc munus et officium pertineat; nam Concil. Toletan. expresse intendit prohibere abusum quorundam presbyterorum, qui confectionem chrismatis sibi usurpabant; et tam ibi, quam in dicto cap. *Omni tempore liceat Episcopo chrisma conficere*, subditur: *Et per diæcesim destinare, ita ut ad accipiendum chrisma diaconus aut subdiaconus ante diem Paschæ de singulis Ecclesiis ad Episcopum destinetur, ut possint ad tempus deferre*; non ergo loquuntur de omni tempore simpliciter, sed accommodatè, id est, de omni tempore annuali, ut Glossa etiam exposuit.

6. *Sexta cæremonia, circumstantia loci.* — Ultimo adjungere possumus circumstantiam loci, sub qua comprehendi potest, quod chrisma conficiendum est in Ecclesia, et in loco presbyterii, ut notatur in Pontificali Romano,

et hæc etiam spectat, quod non est conficiendum, nisi solemnibus ritibus, et inter Missarum solemnibus, imo ab Episcopo Pontificali ritu celebrante; ita enim ab Ecclesia præscriptum, semperque servatum est. Unde, ubi hoc modo confici non potest, vel quia Ecclesia vacat, vel quia Episcopus impeditus est, ne illud possit solemnibus ritibus conficere, prætermittenda est ejus confectio, et aliunde novum chrisma erit deportandum, ut alia consuetudo Ecclesiæ servetur, utendi singulis annis novo chrismate, de qua infra dicetur. Ad hanc etiam circumstantiam spectat, ut chrisma in proprio ac determinato vasculo conficiatur, quod ad hoc munus sacrum habeatur; nam, cum chrisma res sacra sit et ad sacrum ministerium deputata, ad ejus reverentiam spectat, ut non communi vasculo ac vulgari conficiatur et custodiatur; sed specialiter ad hoc munus deputato; et ita colligitur ex ordine et Pontificali Romano. Quamquam autem apud veteres nonnulla mentio chrismatis vasculi, seu ampullæ invenitur, ut patet ex Ivone, epist. 3, et in decreto, part. 1, cap. 268, et ex Burchardo, lib. 4 decreti, cap. 75, et ex Concil. Meldensi, cap. 4, et Optato Milevitano, lib. 2 cont. Parmenianum, non tamen invenio esse ab Ecclesia institutam specialem aliquam benedictionem, aut consecrationem talis vasculi; sed ipsomet usu videtur sacrari, post quem usum non debet ad vulgarem, seu profanum usum converti. Neque etiam invenio esse ab Ecclesia definitam specialem materiam, ex qua conficiendum sit; nam licet communiter sit argentea, vel aurea, et ita maxime deceat, tum propter securitatem, tum propter munditiam, nullum tamen invenio de hac re esse præceptum; imo ampulla illa, cujus meminit Optatus, vitrea vel alterius similis materiæ fuisse videtur; refert enim, hæreticos per fenestram illam projecisse, ut eam frangerent; et miraculo adscribit, quod casum non sensit, nec confracta est, sed Deo muniente illæsa inter saxa cœdit. Videtur ergo hoc prudenti pastoris arbitrio relinquendum; semper tamen, quoad fieri possit, servanda est Ecclesiæ consuetudo.

SECTIO II.

Utrum sacramentum confirmationis conveniente ritu ab Ecclesia conferatur.

1. Hic nihil dicendum est de substantiali ritu, ad quem spectat, quod unctio ex chrismate fiat in fronte, et sub signaculo crucis,

ut superius dictum est; dicendum est ergo solum de accidentali ritu, qui solum in tribus aut quatuor circumstantiis, seu cæremoniis consistit. Primo ergo notari potest circumstantia temporis, quam D. Thom. hic attigit in solut. ad 4, ubi dicit, eadem tempora Paschatis, et Pentecostes, quæ olim erant ad baptismum designata, hoc etiam sacramentum comprehendisse, quia olim simul conferebantur, ut supra vidimus; atque ita statuitur in Concil. Paris. sub Ludovico et Lothario lib. 4, cap. 33; tamen illud Concil. provinciale est, in universum autem, nec satis constat, olim fuisse rigoroso præcepto prohibitum, ne sacramentum confirmationis extra illa tempora daretur, et nunc certius est, nullum esse tale præceptum, tum quia contrarium tenet consuetudo, quæ in ipso etiam baptismo illam limitationem abrogavit; tum etiam quia in hoc sacramento id commode servari non poterat, ut D. Thom. notat, quia ejus minister est solus Episcopus, qui non potest quolibet tempore adesse ad confirmandos baptizatos; potest ergo hoc sacramentum conferri quolibet tempore opportuno. An vero matutino tempore conferendum sit, statim dicam.

2. Secundo notari potest circumstantia loci, de qua Palud., q. 3, art. 3, dicit, licet confectio chrismatis tantum fieri possit in Ecclesia, tamen sacramentum posse dari in quolibet decente loco; et censeo, hoc esse probabile, quia nihil invenio sub præcepto præscriptum; et in Pontificali solum dicitur, quod fiat ante medium altaris; aut in alio conveniente loco; consuetudo autem obtinuit, ut detur tantum in Ecclesia, et ita observandum est, quoad fieri possit; nam, si hoc de baptismo præceptum est in Clementina de Baptismo, maxime decet, in confirmatione etiam observari. Statuitur autem in cap. Responso, de Sentent. excommun., posse hoc sacramentum conferri in locis interdictis, ut potest baptismus.

3. Tertio ad hunc ritum etiam spectat, quod Episcopus vestibus sacris indui debet ad hoc sacramentum ministrandum; id enim pertinet ad ornatum et decentiam hujus sacramenti; tenetur ergo in hoc observare quod in Romano Pontificali præscribitur. Ex parte vero ipsius confirmandi nulla est in hoc cæremonia præscripta; olim enim, quia confirmatio statim post solemnem baptismum dabatur, et baptizati induebantur vestibus albis, ideo eisdem candidati vestibus ad hoc sacramentum recipiendum accedebant, quod satis erat accommodatum ad innocentiam signifi-

candam, quam accedentes ad hoc sacramentum gestare debent; nunc vero postquam illa cæremonia cessavit, nulla est circa hoc specialis observantia, sed tantum decentiæ, et honestatis ratio habenda est.

4. Quarto observatum est, ut tam confirmans, quam confirmandus jejuni accedant, ut tetigit D. Thom. hic, in solut. ad 2, et significat hoc fuisse præceptum in Concil. Senon., c. 3, et Concil. Meldensi, c. 6, et habetur in cap. Ut jejuni, et cap. Ut Episcopi, de Consecr., dist. 5, et idem statuitur in Concil. Paris., lib. 4, cap. 33, ubi adducitur congruentia, quod Apostoli jejuni confirmati sunt per Spiritus Sancti adventum; et credibile est, eos non nisi jejunos aliis Spiritum Sanctum tradidisse, quia ita decebat tam excellens ministerium, ut, qui daturus est Spiritum Sanctum, prius jejunando et orando in corde suo illi præparet habitaculum. Juxta quæ decreta, si hæc cæremonia observanda est, consequenter dicendum erit, sacramentum hoc matutino tempore ante prandium esse ministrandum, quia alias, moraliter loquendo, non posset jejunis a jejunis ministrari. Nihilominus tamen dicendum est, hanc cæremoniam non esse ex necessitate præcepti, sed solum ex decentia, ut hic D. Thom., quem omnes sequuntur, et expresse annotatur in Pontificali Romano; neque in supra citatis decretis sunt verba, quæ sufficienter indicent præcepti obligationem; et, quamvis essent, tamen illa Concil. provincialia sunt; neque eorum lex communi usu est recepta, sed potius abrogata; nam fere consuetudo jam obtinuit, ut sacramentum hoc post prandium conferatur. Quinta cæremonia est, quod in hoc sacramento adhibetur susceptor, qui confirmandum teneat. De qua satis dictum est in Comment. art. 10.

5. Sexta, antequam Episcopus conferat sacramentum, fundit quasdam orationes, deprecationes, ac benedictiones; et peracto sacramento, alias similiter subjungit, quæ piæ sunt, et juxta consuetudinem Ecclesiæ observandæ. Septima, post factam unctionem substantialem in fronte, vitta linea caput confirmati ligatur, quam aliqui uno, alii tribus, alii septem diebus gestare consueverunt, quod fit propter chrismatism reverentiam, ut non abluatur, sed exsiccet. Unde hæc cæremonia servanda omnino est, ut colligitur ex D. Th. in 4, d. 7, q. ult., art. ult., et aliis auctoribus ibi, et Summistis, verb. Confirmatio; quamvis in temporis seu dierum determinatione nulla

sit obligatio; sed ubique propria consuetudo servanda est, ut in Pontificali Romano dicitur. Atque idem judicium ferendum est de eo quod Hugo Victor., lib. 2 Sacram., part. 7, c. 6, dicit, per septem dies non esse abluendum caput, seu frontem hominis confirmati; quod ipse etiam, non ut necessarium, sed ut conveniens docet; et loquitur de vulgari et communi ablutione; nam alicubi moris est, ut paulo post abluantur in fonte baptismatis; ubi autem hoc non observatur, satis erit expectare, donec chrisma exsiccatum sit.

6. Octava, post peractum sacramentum Pontifex leviter dat confirmato alapam super genam, dicens, *Pax tecum*, quod solum fit ad significationem, ut confirmatus intelligat, se armari ad injurias pro Christo ferendas; et alii dicunt, fieri etiam ob memoriam, ut suscipiens recordetur sacramenti suscepti, et militiæ, ad quam exercendam conscribitur; hæc autem cæremonia non videtur esse tanti momenti, ut, si prætermittatur, sit peccatum mortale, secluso contemptu, ut notavit Soto hic, art. 12, ubi aliam cæremoniam refert, scilicet, quod cereus offertur; sed hanc non invenio in Pontificali Romano, neque in antiquis auctoribus.

DISPUTATIO XXXVIII, ET ULTIMA DE CONFIRMATIONE.

DE PRÆCEPTIS AD HOC SACRAMENTUM PERTINENTIBUS.

Distinguendæ sunt duæ personæ, quæ in usu hujus sacramenti, sicut et aliorum, necessario interveniunt, scilicet suscipiens, et minister, et de utriusque obligationibus, et de modis, quibus contra eas delinquere possunt, et de pœnis, si quas fortasse incurrant, dicendum est; de susceptore vero præter superius notata, nihil addendum occurrit.

SECTIO I.

Utrum omnes fideles baptizati teneantur hoc sacramentum suscipere et illud non iterare.

1. *Prima obligatio.* — Triplex obligatio intelligi potest ex parte recipientis hoc sacramentum. Prima est negativa, non recipiendi indigne, neque sine debita intentione ac dispositione hoc sacramentum; quæ etiam affirmative explicari potest sub conditione, seu quoad specificationem actus, scilicet digne recipiendi hoc sacramentum, si quis velit illud

recipere; et de hac obligatione nihil in particulari hic occurrit addendum, præter dicta supra de sacramentis in genere; nam hæc obligatio nascitur ex generali et connaturali lege sacramentorum, quæ ad hoc sacramentum determinanda est juxta dispositionem, quam hoc sacramentum requirit, de qua supra tractatum est.

2. *Secunda obligatio.* — *An maneat irregularis, qui iterat hoc sacramentum?* — *Prima opinio affirmativa.* — *Secunda opinio negat.* — Secunda obligatio, quæ in ultima particula tituli quæstionis attingitur, est etiam negativa, non recipiendi pluries hoc sacramentum, quæ potest etiam affirmative sub conditione et secundum numericam unitatem explicari, id est, ut, si quis vult hoc sacramento uti, semel tantum illud recipiat; et hæc obligatio est etiam certissima, quia supra ostensum est, hoc sacramentum non esse iterabile ex vi suæ institutionis. Unde, si quis tentet secundo illud recipere, irritum facit, et inane est, quidquid recipit, et ideo graviter delinquit. Quæri autem hic potest, an, qui iterato suscipit hoc sacramentum, maneat irregularis; quidam enim ita affirmant, ut Richard. in 4, dist. 7, art. 6, q. 4, ubi idem judicium censet esse de confirmatione, quod de baptismo; et Major ibi, in fine totius distinctionis; et D. Anton., 3 part., tit. 28, c. 6, § 3; et ex jurisperitis hoc tenet Glossa in c. Dictum est, de Consecr., dist. 5, et Aretinac. et Albertus Trotius, quos refert Covarr. infra citandus. Fundari solet hæc sententia in paritate rationis, nam si ille, qui iterato suscipit baptismum, fit irregularis, cur non etiam ille, qui secundo confirmatur? præsertim, quia in Concil. Tarracon., c. 6, et refertur in d. c. Dictum est, eodem modo prohibetur confirmationis, quo baptismi iteratio, et eadem pœna pro utroque delicto imponitur, scilicet, ut, qui ita delinquit, non sæculo, sed solum Deo sub habitu regulari, vel clericali religiosissime famuletur. Unde ad hoc adduci solent decreta, quæ rebaptizatis irregularitatem imponunt, c. Confirmandum, d. 50, c. Quod quidam, 4, q. 1, c. Qui bis, de Consecr., d. 4. Sed hoc argumentum in materia odiosa et pœnali, et præsertim irregularitatis debilissimum est; primo, quia jure ipso cautum est, irregularitatem non incurri, nisi in casibus a jure expressis, cap. Is qui, de Sententia excommuni., in 6; ergo argumentum a simili nullum est ad irregularitatem colligendam. Secundo, quia licet in dicto c. Dictum est,

ita esse malam et prohibitam confirmationis sicut baptismi iterationem asseratur, ibi tamen nulla pœna irregularitatis imponitur. Unde, si ex aliis juribus non constaret, fieri irregularem, qui secundum baptismum recipit, ex vi hujus non fieret irregularis; nam aliud est religiosissime famulari Deo sub habitu regulari, vel clericali, aliud vero fieri irregularem; neque hoc posterius ex illo priori sequitur; nam, etiam si quis denuo ordinetur, vel in suscepto ordine ministret, potest in habitu regulari, vel clericali Deo religiosissime famulari; ex illo ergo textu neutra irregularitas colligitur; in aliis autem juribus nulla fit mentio confirmationis, sed solius baptismatis; hæc ergo irregularitas non est in jure expressa. Et ideo est secunda sententia probabilior, negans propter hoc delictum irregularitatem incurri; quam tenent in 4, d. 7, Scot., q. 5; et Palud., q. 2; Gabr., q. unica, art. 3, dub. 5; eamque ex parte secutus fuerat Antonin., 3 part., tit. 44, c. 44, § 4, ubi tamen solum loquitur de eo, qui ignoranter bis confirmatus est, quia de hoc, inquit, nihil est in jure expressum; sed hæc ratio plus concludit, ut diximus. Et eandem opinionem sequuntur Castro, et Turrecrem., quos refert et sequitur Covarruvias in Clementina Si furiosus, in principio, n. 8, ubi nonnullam rationem differentie assignat; nam in baptismo injuncta est illa pœna propter hæresim circa illud sacramentum peculiariter exortam; quæ ratio neque in hoc sacramento, neque in sacramento Ordinis, locum habet. Addo præterea pœnam, illam in illo c. Dictum est, impositam, in primis non esse a Summo Pontifice, vel aliquo Concilio generali latam, sed a Concil. Tarracon. provinciali, ut Gratianus et Ivo referunt, nam in ipso Concil. non reperitur; deinde non esse usu receptam, et ideo non incurri, præsertim ante iudicis condemnationem. Posset autem iudex ecclesiasticus illam imponere pœnam, quanquam non teneatur, ut existimo, propter rationem dictam.

3. *Tertia obligatio affirmativa esse potest de exercitio ipsius actus;* ut si sit fidelibus baptizatis præceptum impositum suscipiendi hoc sacramentum; et de hoc sunt variae opinioniones. Prima affirmat, esse a Christo Domino latam hujusmodi præceptum, et obligare omnes baptizatos adultos, si commode possunt hoc sacramentum suscipere. Ita sentit Scot., d. 7, q. 2, ubi primum dicit, quod adultus tenetur suscipere hoc sacramentum, id est, non contemnere. Unde infert, teneri illud

